

Milone petente in manus suas recepit, donec^a instantia Fulradi¹ abbatis sapientis et sancti praeclari monasterii beati Dyonisii restituta quadam parte rerum^b . . . um^c ipsi ecclesie, in qua pene omnis religionis desolatio et [ecc]lesiarum^d atque aedificiorum destructio usquequaque incre[ver]at, annuente Carlomanno principe, post parvum tempus [de]functo et in basilica sancti Remigii sepulto², Tilpinus p[re]fati mo[n]asterii^e sancti Dyonisii tunc praepositus vir valde religiosus [a] iunior Genebaudo Laudunensi episcopo, ut aetatis, ita et sanctita[tis] provect[us] homine, cum quibusdam coepiscopis Remorum dioceseos, qui remanserunt a destitutionis peste in suis [e]cclesiis, Remorum est ordinatus metropolitanus episcopus.

9. De quo privilegio, unde agitur ex apostolicę sedis delegatione, Zhacharias papa ad p[re]scriptum Bonifacium scribens ita dicit³: Et quia, si deberes in Baiowariae provintia ius habere praedicationis, sciscitasti, an non, quam a decessore nostro habuisti concessam: nos denique auxiliante Deo de his, quae tibi * largitus est decessor et p[re]decessor noster, non minuius, sed augemus. Et non solum Baiowariam, sed etiam omnem^f Galliarum provintiam, donec te divina iusserit superesse^g maiestas, nostra vice per praedicationem tibi iniunctam, quę reppereris contra christianam religionem vel canonum instituta, spiritaliter studeas ad normam rectitudinis reformare. Et item⁴: At ubi Deus praedicationem tuam auxit, opti[ne]re^h, ut tibi cathedralem ecclesiam vel successoribus tuis confi[r]mare debeamus iuxta eorundem filiorum nostrorum Francorum petitionem. Et idcirco auctoritate beati Petri apostoli sancimus, ut supradictam ecclesiam Mogontinam atque etiam perpetuis temporibus tibi et successoribus tuis metropolis sit confirmata, habens sub se has quinque civitates: Tungris, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam et Trektis et omnes Germanię gentes, quas tua fraternitas per suam praedicationem Christi lumen cognoscere fecit. His a nobis definitis per huius nostrae

^a) Zeilenanfang verblaßt. ^b) u auf Ras. ^c) Zeilenanfang zerstört, etwa 3 Buchstaben verloren. ^d) Zeilenanfang zerstört. ^e) Zeilenanfang zerstört. ^f) omne, Kürzungszeichen über e verblichen. ^g) superes, Kürzungszeichen nicht erkennbar. ^h) Zeilenende zerstört.

¹) Vgl. a. a. O. Flod. II, 17, SS. 13, 463: — — prebente tibi bonum testimonium de sanctitate et doctrina Fulrado amabilissimo abbate.

²) Vgl. Henkmar, 'De villa Noviliaco', MIGNÉ 125, 1122: basilicam sancti Remigii, in qua et sepultus est; dazu Flod. II, 17, SS. 13, 464. ³) Epist. sel. 1, 107f. n. 58 (J-E. 2271). ⁴) Epist. sel. 1, 202 n. 88 (J-E. 2292).